Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2253
Quelle:
Copyright:

lij Sessionis Quinte que pronunciata fuerunt Nona die Mensis Augusti. Integre, ut *col.* 250. Adscripta est temere Cedula creationis, et reservationis ut ajunt, *in pectore* IV. Cardinalium scilicet *Dominici Ram* Ep. *Ilerdens. Prosperi de Columna*, *Dominici Capranicae* electi *Firmani*, et *Juliani Caesarini* Audit. Camerae a *Martino* V. an. 1426. *Die Veneris nono Kalendas Junij Rome in pallacio sancti Petri*, in qua dicuntur *Ilerdensis* et *Firmanus alias iuxta morem consuetum creati*, *sed ex bonis causis tunc* (a. 1423. 23. Jul.) *et nunc vna cum aliis duobus* (Prospero et Juliano) *nolumus publicari.* Obligat tamen *Martinus* Cardinales XI. qui subscripti sunt, ut in casu obitus sui absque mora praedictos IV. pro publicatis habeant.

Fol. 85. p. 2. *Sessio sexta Concilij Basilien. 1432. in die leonardi.* Lege *septima.* Sexta enim habita fuit 6. *Sept.* Decretum hic repetitum jam legitur *Sess.* IV. *Labb. cit. col.* 246. Hic vero subjuncta est *Reformacio in Concilio Basilien. pro suppositis ejusdem*, ut in impressis *col.* 582.

Fol. 90. *Sessio octaua XVIII. decembris 1432. die ipsa pretense revocationis* (scilicet Eugenii) *alias facte* 1431. Ita *Sessiones* sequentes usque ad XIII. sicut decurrunt apud *Labb.* a *col.* 257 — 78.

Fol. 104. *Sessio Decima 3ª* ut *Labb. col.* 281. Verum adjungitur: *Petitio exhibita 17. decembris per petrum fride procuratorem episcopi patauiensis 1433. in singulis deputationibus.* Init: *Ad egregias virtutes Illustrissimi principis et domini mei generosissimi Alberti ducis Austrie* &c. Petierat hic per Oratores suos a Concilio Visitatores ecclesiasticos pro suis Provinciis. Protestatur *Fridius* nomine *Leonardi* Episcopi sui contra *extraordinarias* has *vias*, cum *ordinaria* via per Dioecesanum subpetat, qui et possit et velit, cuique, et Clero ejus, *qui inter ceteros Alamannie cleros honestius viuit*, injuria fieret. Perstringit eos, qui Visitationem hanc ambiunt: *quorum multi visitari deberent pocius, quam visitare*, hoc dilemmate: *Sive religiosi sunt, euntes discant, vt iuxta emissa eorum vota suas foueant cellulas* &c. *Si vero alij sint, qui se forsan professores sacre pagine et amatores existimant, discant prius Juris ac regiminis ecclesiastici practicam et videbunt, quod talia ad eorum episcopum pertinent.* De hoc negotio plura magis infra. De *Petitione* nostra nihil in *Labbeo* aut *Mansio.*

Fol. 107. p. 2. absque Titulo Acta *Sessionis* XIV. sed alio ordine, quam *Labb. col.* 286. Initium facit: *Bulla adhesionis* (Eugenii) *sed insufficiens reputata.* Data *kls Augusti* 1433. incipiens: *Dudum sacrum generale Basilien. Concilium — ad Ciuitatem Bononien. — commutauimus.* Subscripti: *Antonius s. Marcelli, Jordanus Ep. Sabinen. Lucidus s. Marie Cosmedin* Cardd. Apud *cit.* non reperta.

Fol.